



V₁ 54-95

V. a 56-97 pag 57^a-59^a
B 5 Vol. II.

65 12
13

DE

EXAMINE PRIMÆ CLASSIS

JOVIS ET VEN. DIEBUS

HORIS POMERID.

INSTITUENDO

HABENDISQUE EOD. TEMP. ALIQUOT ORAT.

SIGNIFICAT

ET

*QUID IN HAC CLASSE PROXIMO QUIN-
QUENNIO ACTUM SIT*

MODESTE ET VERE COMMEMORAT

CHRISTIANUS GODOFR. STRUENSEE

STEPHANEI RECTOR.



HALBERSTADII,

DELIUS TYPIS EXSCRIPSIT, MDCCLXIV.



EXAMINE
PRIME CLASSIS

JOVIS ET VEN. DIEBUS

HORIS TERTIIS

INSTAURANDO

HABENDISQUE EOD. TEMP. ALIQUOT ORAT.

STUDENTAT

ET

QUIN IN HAC CLASSE PROXIMO QUIN

QUIN NOSTRA SIT

NOCTE ET VESPERIS

CHRISTIANUS GODEFR. STRUENKEL

STUDII RECTOR

MAGISTER

LEONHARDI EXERCITII MEDICINAE





Quinquennium his diebus est, cum a *reverendissimis schola nostra* patronis meae, & *collaboratorum* curæ prima classis commissa est. Cuius examen publicum cum *scriptione* aliqua significandum sit; non alienum fore arbitratus sum, quid a me collegisque meis in hoc ordine actum sit, breviter atque modeste enarrare. Duæ me causæ, ut id facerem, adduxerunt, quas æquis lectoribus (iniquos non moror) probatum iri spero. Una est, quod hoc modo tum *patronis Scholæ nostræ*, *parentibusque* nostrorum, tum omnibus, qui de publica schola quærendum arbitrantur, rationem optime reddi posse, atque debere existimabam. Quamquam enim eo consilio publica examina instituta sunt, ut, quorum est de his rebus cognoscere, quid quovis anno agatur audire, atque cognoscere queant: tamen, si quinquennii labores, tanquam in tabula propositos, intueri possent, atque inter se conferre, eos rectius multo atque verius iudicare posse putavi. Altera ratio est, quod credidi posse non exiguam in scholam nostram utilitatem redundare, si idonei, & prudentes harum rerum cognitores in animum inducant, vel, quid desiderant,

desiderent, vel quid improbent libere monere: quibus id saltem spondemus, fore nobis eorum monita longe iucundissima. Duæ autem commentarioli partes erunt: in quarum una quid in linguis, in altera quid in gravioribus artibus a nobis tentatum sit exponet ur.

Linguas docemus latinam, græcam, hebraicam, gallicam, & extraordinariis horis etruscam, & anglicam. Latine decem per hebdomadem horæ tribuuntur: decima ante meridiem, & post meridiem prima. Antemeridianæ ita sunt distributæ, ut IV. prioribus, detracto eo tempore, quod recensendis adolescentium scriptis impendendum est, *Ciceronis orationes* diligentius explicem; II. reliquis Collegæ alios auctores celerius percurrant. Ex orationibus Ciceronis LVI, tot enim extant, perlectæ a nobis his quinque annis XLVII sunt: sic dictas selectas bis explicuimus. Delegi orationes Ciceronis, quod illæ ad formandum adolescentium ingenium stylumque visæ sunt aptissimæ. Uti enim Cicerone nihil gravius, copiosius, ornatius; ut non alius ex latinis scriptoribus æque commendandus juvenibus videatur, sic mea opinione orationibus eius nihil perfectius est, atque ad hunc finem accommodatius. Habet enim adolescentulus in omni genere scribendi, quæ intueatur, atque imitetur, perfectissima in orationibus proposita exempla. Cum enim, quemadmodum ipse Cicero sub Antonii persona Cap. XVII. Lib. II. de oratore disputat, in forensi eloquentia ita sint omnia, ut qui ea polleat reliquis omnibus tamquam facilioribus facile sufficiat: non sine ratione colligi posse videtur, esse Ciceronis orationes ad conformationem ingenii vocisque adolescentium longe aptissimas. Quam opinionem usus atque experientia, ni fallor, confirmarunt. Animadvertisse enim videor, nostros adolescentulos non pœnitendum huius consilii fructum cepisse.

In his explicandis sic versatus sum, ut præmissis, antequam ad ipsam orationem accederem, quæ ad ipsam causam cognoscendam pertinent,

pertinent, præcipuisque orationis membris enumeratis, atque designatis, maioris partis, complurium non raro capitum, versionem prælegerim; auditores de difficilioribus locis inter legendum monuerim; deinde in patrium sermonem a discipulis converti curarim; post explicitam partem sic retractarim, ut quomodo causa tractata sit ostenderem, difficiliora explicarem, quæ ad historiam, geographiam, omnemque antiquitatem pertinent, illustrarem, artem præsertim summam summi oratoris, quantum datur, investigarem, discipulosque in eius vestigiis quasi collocarem; ut, quemadmodum quæstio definienda, probanda, atque ornanda sit, ex summi oratoris exemplo discant, intelligentque, summam artem in eo positam esse, ut nulla ars adhibita esse videatur.

*Duabus aliis post meridiem horis eodem fere modo Ciceronis libros de officiis, de senectute, ceterosque qui cum his simul edi solent, ad M. Brutum oratorem, etiam de oratore libros II, explicavi: ex quibus hunc etiam fructum ceperunt discipuli, ut naturam eloquentiæ, & quæ in ea vel sequenda vel fugienda sunt, ex summi oratoris præceptis docerentur. Duæ etiam horæ poetis tributæ a me sunt; Horatio quem bis integrum perlegi, si ea carmina excipio, quæ ita turpia atque spurca sunt, ut cum Quintilianus suis discipulis ea explicare religioni duxerit, meum certe non fuerit, imo nefarium scelus potius, pueros Christianos his sordibus polluere atque inquinare; & Virgilio cujus aeneidem paucis mensibus iterum finiemus. Supersunt duæ horæ latinæ linguæ dicatæ, quibus ego secundæ classis grammaticam diligentius inculco; quod eo lubentius facio, quod sic ingenia huius classis, unde in primam transferuntur, eorumque profectus noscere datur, meoque docendi modo adsuofacio. Eas collegæ mei, quorum diligentiam, industriam, atque fidem in docendo non possum satis laudare in legendis aliis scriptoribus collocaverunt. Et prænobilissimus quidem *Bursiadus*, nunc apud Quedlinburgenses Subconrectoris munere summa dexteritate fungens; duobus fere annis *Curtii* aliquot*

quot libros, *Iustinum*, *Sallustium*, & sex primos *Livii* libros perlegit: Ei successit plurimum reverendus *Lindanius*, ante annum Potsdampium vocatus, orphanotrophei regii inspector & mysta is pari temporis intervallo quinque ex *Curtio* libris finitis a septimo *Livii* libro ad XXIII progressus est: post quem carissimus Collega *Heineccius* additis *Livii* libris XXIII, & XXIV. *Ciceronis* quinque libros *Tusculanarum* quaestionum decucurrit.

Venio ad *græca*, plenius, diligentiusque quam antea factum erat, in ludo nostro tractata. Cum enim superiori tempore novum testamentum multis annis vix ac ne vix quidem perlegeretur: collegæ mei, supra honoris causa nominati, hunc librum duabus per hebdomadem horis, quibus ego in secundo ordine grammaticæ græcæ præcepta trado, bis fere ad finem perduxerunt. Alteris duabus horis, nam quaternæ septiduo huic linguæ præstitutæ sunt, auctorem græcum legere cœpi; fecitque juvenum diligentia, ut præter opinionem negotium successerit. Perlegimus enim hoc tempore *Genneri V. Cl. Chrestomathiam*, & *Herodianum*, cujus duo postremos libros dilectissimus collega *Besserus* interpretatus est. Deceueram hoc semestri delectis quibusdam adolescentulis *Chrestomathiam tragicam* explicare: sed cum exemplaria initio ad manus non essent, aliquot *Iliadis* libros perlegi. Cœperam autem iam ante tres annos hunc poetam tractare, quem, non modo parentem poetarum, sed omnis humanæ sapientiæ gravissimum auctorem iure appellandum, omnis antiquitas non sine causa admirata est; idque duabus extraordinariis horis, quibus, quamquam non raro interpellatus labor fuit, tamen XII. libros absolvimus, sic ut in universum præstantissimi carminis XV. libros perlegerimus; spēsque sit, fore, ut possimus in posterum expeditius etiam progredi; si, quod habemus in animo, fieri potest, ut præstantissimi poetæ lectioni quaternæ per hebdomadem horæ impendantur, novique testamenti explicatio his unice reserve-tur, qui ad altiora subsellia sunt abituri.

Ebraica

Ebraica his quinque annis, ternis septiduo horis ita tractata sunt, ut totum codicem propemodum abolverimus. Perlegit enim aestu-
matissimus *Lindavius*, dum ego secundam classem primis rudimentis
institui, historicos libros omnes: in quibus denuo explicandis col-
lega *Besserus* iam versatur. Ego duabus reliquis horis difficiliore
libros, si partem *Jesajaë*, *Ezechielem*, *Jobum*, canticum, & *Co-
heleth* excipio, omnes absoivi. *Gallicam* linguam primæ classi ita
tradiderunt collega, ut hoc tempore *Telemachum*, *Premontualli* libros
preservatis dictos, quot scilicet ad annum LXI. prodierant, *Terentii*
comœdias, maioremque *Rolliniani* operis, docendarum, discenda-
rumque artium humaniorum rationem explicantis, partem perlege-
rint, stylumque continuo exercuerint. Extraordinariis etiam horis
italicam linguam docuerunt *Butstadius* & *Heineccius*. Prior *Tele-
machi* XIII. priores, & *Tassoniani* carminis III. libros pertractavit: alter
reliquos libros explicuit: cui negotio illud tempus ab his, qui juris
studio se consecrarunt tribuitur, quod a ceteris in discenda ebraica
lingua consumitur. Fuerunt etiam, qui *anglice* doceri vellent, quorum
studio collega *Besserus* inservit, & satisfecit.

Paucis addam, quomodo in gravioribus artibus explicandis
elaboraverimus. *Theologiam dogmaticam* bis explicui. In qua len-
tius propterea progredimur, quod ei binæ modo per hebdomadam
horæ dicari potuerunt, & tractata diligentius, quam in ceteris ar-
tibus, repetenda esse videntur, *Historiam civilem* bis enarravi, si
partem superioris seculi, & quantum ex nostro effluxit, quod hoc
semestri addam, excipio: in qua id maxime ago, ut chronologiam,
cum synchronismo auditores animo altius infigant. Huic ante duos
annos *literariam* adieci, in qua enarranda ad superioris seculi finem
perveni. Nec *antiquitatum Romanarum* studium a nobis omissum
est, quas semel percensui. Attigimus etiam, *philosophiam*, & *ma-
thefin*. Ex priore precipuos metaphysicos locos cum logica bis ex-
posui: matheos studium ante biennium additum arithmetica, his
explici

explicitæ, atque demonstratæ, & geometriæ, semel pertractatæ, finibus se continuit. *Geographia* sic a me & collegis meis, *Lindavio* & *Heineccio* bis est adjuncta, ut cum de omni *geographia*, tum de singulis telluris partibus sit explicatum.

Quæ hoc anno sint a nobis tractata audient qui examini interesse volunt: quod ut faciant tum *Reverendissimi* scholæ nostræ *Parroni*, tum *parentes* nostrorum, tum omnes, quotquot discentium studia sua præsentia vel excitanda, vel alenda, vel inflammanda putant, enixe rogamus. Totius actus rationem germanico sermone, quo plures intelligant, indicabo.



Nach

Nach der ersten Lection den 12. d. M. handelt

Clamer Eberhard Carl Schmidt, aus Halberstadt, von Ludwig XIV. als einem grossen Beförderer der Wissenschaften. Ich habe seine Rede gelassen wie sie war.

Nach der zwothen wird

Johann Friedrich Timotheus Kämmerich, aus der Prignitz, in einer lateinischen Rede, worinn ich etwas sehr wenig geändert, von den merkwürdigsten Thaten des Macedonischen Philipps handeln.

Nach der dritten sagt

Gottlieb Rudolph Krehl, aus Mansfeld, eine teutsche Rede her von den Vortheilen, die eine wohl gewählte Gesellschaft verschafft. Er hat sie so verfertigt, daß ich nichts darein geändert.

Nach der vierten wird

Gottlieb Christian Busse, aus Gardelegen, eine Uebersetzung des Wettstreits zur See, aus dem fünften Buch der Aeneis hersagen. Im ersten Theil habe ich manches, im zweiten nichts gebessert, ihm folgt

Ludwig Christian Anton Wiegand, aus Bernigerode, welcher den Wettstreit im Laufen, in teutsche Verse gebracht: worinn ich nur wenig zu verbessern gesucht.

Den

Den 13ten des Nachmittags wird

Nach der ersten Lection

Ernst Benjamin Ludwig Ernesti, aus Westerhausen, in einer Lateinischen Rede, worinn ich nichts geändert, von einigen würdigen Theologen des 17ten Jahrhunderts reden.

Nach dem Examine wird

Emanuel Andreas Nordmann, aus Quedlinburg, und nach ihm

Andreas Friedrich Altersleben, aus Halberstadt, den Tod Mosiss in einem Gedichte besingen.

Einer meiner Scholaren hatte diesen Gegenstand in einer Ausarbeitung berührt. Ich bestimmte drey Preise für die drey besten Versuche, weil meine Absicht war, es sollten alle drüber arbeiten. Es hat sich aber weiter keiner dran gemacht, als diese. Ich ersuche, wie alle Gönner und Freunde fleißiger Jünglinge, also insonderheit die vortreflichen Dichter, worauf unser Halberstadt stolz seyn kan, die Bemühung dieser beyden in vielen andern Absichten lobenswürdigen jungen Leuten durch ihre Gegenwart und Urtheil zu belohnen, und zu größern Versuchen zu ermuntern. Halberstadt, den 9. April 1764.



8.0 A 623A

vd 18

Nur für den Lesesaal

ULB Halle

004 585 895

3



noch nicht verbunden





65 12
13

DE

EXAMINE PRIMÆ CLASSIS

JOVIS ET VEN. DIEBUS

HORIS POMERID.

INSTITUENDO

HABENDISQUE EOD. TEMP. ALIQUOT ORAT.

SIGNIFICAT

ET

*QUID IN HAC CLASSE PROXIMO QUIN-
QUENNIO ACTUM SIT*

MODESTE ET VERE COMMEMORAT

CHRISTIANUS GODOFR. STRUENSEE

STEPHANEI RECTOR.



HALBERSTADII,

DELIUS TYPIS EXSCRIPSIT, MDCCLXIV.

